



SCAFFALI ONLINE
<http://badigit.comune.bologna.it/books>

Telesio, Bernardino
De colorum generatione opusculum
Neapoli : apud Iosephum Cacchium, 1570
Collocazione: 9. B. III. 36 op. 3
<http://sol.unibo.it/SebinaOpac/Opac?action=search&thNomeDocumento=UBO4005149T>

Questo libro è parte delle collezioni della Biblioteca dell'Archiginnasio.

L'ebook è distribuito con licenza Creative Commons solo per scopo personale, privato e non commerciale, condividi allo stesso modo



[4.0:http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/4.0/legalcode](http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/4.0/legalcode)

Per qualsiasi altro scopo, o per ottenere immagini a risoluzione superiore contattare: archiginnasio@comune.bologna.it

BERNARDINI

TELESII

CONSENTINI

De Colorum Generatione
Opusculum.



Cum Superiorum facultate.

NEAPOLI,

Apud Iosephum Cacchium.

Anno M D LXX.

BERNARDINI

TELESII

CONSENTINI
De Coloniae Generatione
Opusculum.



Cons. Superiorum facultatis.
NEAPOLIS
Ioh. Joseph. Castellum.
Anno M. D. LXX.

^{mo.} ILLUSTRIO ANNI HIERONYMO

AQVEVIVIO HADRIANENSIVM DVCI.

BERNARDINVS TELESIVS

CONSENTINVS S.P.D.



MULTOS equidem iam annos sum-
mate prosequor ueneratione, sum-
moq; tui uidendi desiderio teneor;
Neq; enim unus, aut alter te cum
ceteris animi bonis uirtutibusq; tu uerò diuino
sanè ingenio iudicioq; longè acerrimo präditum,
disciplinisq; omnibus apprime ornatum mihi
prädicauit; sed communis omnium consensus,
& eorum praecipue qui & te magis norunt, &
qui, quae in te sunt, bona reliquis exquisitiùs in-
tueri possunt: in primis Marius Galeota qui
uir & quantus? hic quidem te non summi et a-
tis nostrae hominibus, sed antiquis illis haeroibus,
ac diuinis uiris conferre nihibueretur. Nec ue-
rò Remp. uel manu, uel consilio adiuuandi occa-
sionem nactus si sis umquam, quin illorum gloriã
exaeques, aut etiã exuperes dubitat quicquam.
Admirabilem scilicet intuitus naturam tuam,

& cum

Et cum reliquarum honestarum disciplinarum,
tum uerò philosophiae studijs diu, summaq; excu-
tam diligentia: summa itaque erga te charita-
te, ac ueneratione summoq; tui desiderio me in-
flammauit. Quòd si per molestias, quibus mul-
tos iam annos assidue opprimor, mihi licuisset,
promptius mihi crede ad te, quam ad fortuna-
tissimos reges aduolassem: Et praesens animi mei
propensione erga te patefecissem, ac dedidissem
omnino me tibi: Id quando ad huc facere non li-
cuit studiorum meorum monumentum quippiã
tibi offerre uisum est, quòd meæ erga te obserua-
tiae signum esset: Itaq; commentarium de Colo-
rum generatione ad te mitto: libens spero munus
qualecumq; est accipies, in quo nimirum homi-
nem, qui te nunquam uidit, uirtutum tuarum
pulchritudine, ac fulgore incensum intuebere.
Nam si probatus tibi ille fuerit, Et per obscurã
adhuc, ut uidetur, colorum naturam, exortuq;
patefecerit, id uerò opibus à te omnibus carius
aestimatum iri certò scio; ut qui Illustriss. ma-
iorum tuorum more rerum cognitionem rebus
omnibus, ac regnis etiam ipsis praehabendã sem-
per duxeris. Vale.

2

BERNARDINI
CONSENTINI
DE COLORVM GENERATIONE
OPVSCVLVM.

Lucem, uel calorem summam, & in tenuitate existen-
tem, uel eius speciem esse.

Cap. 1.



LUCEM à calore summo in tenuitate constitui, & vel
calorem summum in tenui, in proprio nimirum exi-
stentem subiecto, uel eius omnino speciem esse illã,
& in Commentarijs de Natura satis est, ut opinor,
declaratum, & per se patere uidetur: siquidem ne-
que à calore ullo in nondum tenui facta re, neque in ulla tenuita-
te à languente calore fieri uisa est unquam; at statim in re quauis,
simul ac summus eam corripuit, penitusque exuperauit, & tenuẽ
fecit calor: at neque tamen ueluti quò robustior est calor, sic iti-
dem quò tenuiori indatur rei, eò splendidior fit lux. Quin ingēs,
robustaque in tenuitate summa fieri non potest; siquidem nec ro-
bustus calor, cuius manifestè opus est lux. Neque igitur uel Terris,
uel Cœlo proximus aer, neque ipsi cœlestes orbis ab eodem soli,
at minùs in seipsum collecto, constituti calore, lucidi apparent;
exilis scilicet, & per tenuitatem diffusus calor, nec proprias uires,
nec seipsum, aut propriã valenter manifestat speciem. At uel nõ
summa opus habens tenuitate lux in crassitie omnino fieri non
potest: neque igitur uel per uapores modicè in seipso spissatos,
neque in paulò crassiore fumo, qui uis ei inexistat calor, lux elucet
ulla; at in tenuiori eo factò statim emicat: ut, quod dictum est,
calor summus, robustusque, & certa in tenuitate existens, uel eius
certè species uideri omnino debeat lux.

Lucem robur à caloris robore, puritatem à tenuitate habere, &
albam sui natura esse: à crassitie autem impurari,
& alijs intingi coloribus.

Cap. 2.

2 2 Quoniam



QVONIAM lux ut fiat, summo caloris robore, ueraq; opus est tenuitate; quæ uel ab imminuto calore, uel in non pura fit tenuitate, non integra ea uiget; que fieri, uel non pura, synceraque uideri debet; sed uel imminuta, & languens, uel impura, fœdataque; & imminuta quidem quæ à languente calore, impura uerò quæ in quauis fit crassitie. Neque enim dubitare licet integra ea, robustaque esse entia, quibus agens natura integra inest, uigenisque; & pura, quæ à natura constituta sunt; materiam penitus exuperante. Et manifestè quæ lux in seipsam spissa est magis, cui scilicet copiosior inest calor, ea uiget magis, & uisum ueluti ferit; quæ contra tenuior est, quæ scilicet ab exili facta est calore, languet ea, & uisum ne mouet quidem. Manifestè itidem iuxta diuersam tenuitatem diuersæ sunt flammæ, Albæ, Puniceæ, Flauæ, Virides, Cæruleæ, Purpureæque. Et Sol ipse, eiusque lux uapores, nubisque, & aquas pertransiens, & ferratile uitrum, omnibus intingi uidetur coloribus. Absit uerò ut lucis omnes proprii uideri possint, uel alius omninò ullus, nisi albus; qui nimirum in sole spectatur nihil ab interpositis uaporibus fœdato, impuratoque. Et in flammis in materia accensis benè à calore exuperata; reliqui non lucis magis proprii, quam tenebrarum uideri debent. Lux igitur, quod dictum est, à robusto quidem calore integra, pura uerò in uera fit tenuitate; & alba sui natura, crassitie indita, uel crassitiem permeans, fœdatur, & ad nigrum, obscurumque agitur.

Colores lucem esse imminutam, fœdatamque; & lucis omninò, tenebrarumque; esse medios.

Cap. 3.



ANGUERE porrò, & inuisilis fieri lux uisa, quæ à languente calore; & impurari, fœdarique, quæ in crassitie fit: quæ utrumque patitur, quæ scilicet & ab imminuto calore, & crassis fit in rebus, ea nec uisilis amplius, nec pura, sed inuisilis omninò, impuraque, & pro alba, punicea, flaua, uiridis, cærulea, purpureaque; calor nimirum pro luce fieri uidetur. At & inde colores à luce tenebris immista constitui, & lucis omninò, tenebrarumque medios esse patere potest, quòd non uisilis quidem per se color, at lucem intingere, colorareque, & in luce omninò uideri est aptus: quæ enim

immutant,

immutant, corrumpuntque, & in propriam agunt naturam, contraria, uel è contrarijs constituta, & quæ idè operantur, similia omninò uideri debent. Nec uerò quæ à uaporibus, & fumo, aquisue, & uitro patitur lux, non à tenebris pati ea videatur, quæ tenebræ nullæ ijs inesse apparent; siquidem quæ per se inuisilia sunt, quæ scilicet, quod lucis proprium est, non habent, tenebricosa omninò uideri debent: & quæ non uerè tenuia facta sunt, sed crassitie proprii tenebrarum subiecti participia sunt, tenebrarum omninò omnia participia uideri debent. Colorum itaque albus imminuta lux, reliqui uerò fœdata insuper uideri debent.

Qui colores albo proximiores, & qui remotiores, nec eorum tamen differentias omnes inquirendas esse. Cap. 4.



QVONIAM lux sui natura alba est, & ad nigrum, obscurumque; ibi agi uidetur, ubi crassitie, atque opacitati immiscetur; colores, in quos minus ab opaco passa, ij omninò albo proximiores; remotiores uerò uideri debent, in quos crassitie magis immista agi apparet: puniceus igitur albo proximus, tum flauus; per tenuissimos u. uapores, & qui in aquas crassescere nequeant, puniceus spectatur Sol, per crassiores uerò flauus. Puniceus itaque Sol, & Luna uentos denuntiat usquequaque; in quos, uapores diffundi uisi sunt longè tenuissimi. At flauus, croceusque, atque aureus uel Ptolomæi testimonio pluias persæpè; per crassiores nimirum uapores, & qui in aquas haud ægrè crassescant, conspectus. Flaua itidem secunda Iridis circumferentia, quæ puniceæ interdum, uiridisque; est media: & flammæ per tenuissimum fumum puniceæ, flauæ uerò per crassiorè spectantur. Multo certè puniceæ quæ sunt, quæ flauæ uiuæ magis, magisque; uisum ferientes; luce nimirum in illis minus passa. Et in ferratili uitro manifestè puniceus in flauum, at subrufum, croceumque; desinere uidetur, tum opaco assidue commistus magis à puniceo, subrufoque, & croceo recedere magis, magisque flauus fieri, & ad uiridem uergere magis, & uiridis fieri tandem: ueluti igitur crassior factus flauus, croceusque; uiridis uidetur. Et si Solem intuens, paulatim oculos contrahas; aduenienti nimirum luci ita aditum occludas, ut non integra amplius, puraque, sed ab interpositis rebus passa quid, immutataque subeat: pro albo, puniceum primum, minimè scilicet impurata eius luce, mox flauum, purpureum postremò intueare; assidue scilicet eius luce magis fœdata, atque ad nigrius, obscuriusque acta.

Nec

DE COLORVM

Nec uerò flauus, quàm puniceus est, albo proximior uideatur, quòd sensui ita uideatur, & quòd ex alboribus omninò rebus, & ex albo, puniceoq̄ue confici interdum uidetur: neque enim flauus est is, sed albus omninò exile quid immutatus, & albidus dici possit. Et manifestè permagnum inter hunc, & uerè flauum, croceum q̄ue spatium interest, & albo omninò ille proximus, hic uerò uiridi contiguus apparet, & qui si paululum quid obscuretur, uiridis omninò fiat. Et puniceum, ut dictum est, à flauo excipi, & à uiridi flauum, à calore nimirum hos fieri minus uicente, minusq̄ue attenuante, & lucem omninò utrumque esse, magis ab opaco passam, impuratãq̄ue, inde etiam perspicuum fieri uidetur, quòd sanguis, qui non bellè concoquitur, pro puniceo, rubroq̄ue, flauus fit, croceusq̄ue: & puniceus carnis color in flauum inuertitur, croceumq̄; & si minus etiam concoquatur, pro flauo uiridis etiam fiet, & flauus, croceusq̄ue carnis color, in uiridiam transibit. Viridem cæruleus excipit, cæruleum purpureus, ut in ferratili itidem vitro intueri licet, & omninò cæruleus paulò obscurior factus in purpureum transire apparet. Nec uerò colorum reliquorum omnium differentia inquirenda uideri debent; quæ nimirum innumeræ, longeq̄ue obscurissimæ uideri possunt. Siquidem, ut in Commentarijs de Rerum Natura expositum est, nec tenuitas in crassitiem, nec lux in tenebras, quarum medijs apparèt colores, ueluti gradibus, saltibusue, sed paulatim, & ueluti fluxu agi uidentur. Tum non una modò lux uni inditur tenuitati, sed cuius quæcunque, ueluti & calor. Nec uerò vel ab opacitate eadem, diuersis prædita uiribus lux, uel iisdem etiam, at copiosior indita; nec lux eadem omninò à diuersa opacitate, modo eodem intingi uideri potest. Vel singulæ igitur colorum differentia in innumeras diuidi posse uidentur, & colores, qui nihil specie inter se, nitore certè splendoreq̄ue plurimum differunt. Vel æquè uigens scilicet lux, eidemq̄ue immista opacitati; at paulò indita copiosior, uel nihil copia differens, at robore, uel & copia, & robore eadem omninò lux, at magis opacæ indita rei, proximo quidem, at non eodem omninò coloratur colore. Siquidem, ut in Iride amplius declaratum est, quæ robustior est lux, minus ea ab opaco exuperatur, minusq̄ue impuratur: innumeris prætereà modis colores inter se commisceri possunt; ut quod dictum est, uerè innumeræ eorum differentia, & quarum ortus pacto nullo, nullaq̄; explicari possit ratione.

Albedinem

Albedinem tenuitatis propriam, & caloris omnino esse opus;

Nigredinem contra crasitiei propriam,

& frigoris opus.

Cap. 5.



EC verò non qualis uisa est, tenuitatis propria, & caloris omnino opus albedo videatur, quòd crasfioribus, frigidisq̄ue inesse apparet rebus, niui, glaciei, grandini, cristalloq̄ue & marmorum, ut in Commentarijs de Rerum Natura expositum est, & ea omnia, & quæcunque alba apparent, crassaq̄ue è tenuib. omnino omnia, & si quidem à frigore compactis, minime in crasfitiem actis, at veluti ligatis modò, gelatisq̄ue constituta videri debent; nõ magnum scilicet nec aeri, nec supremis Terræ partibus inexistens frigus tenuitatem in veram agere crasfitiem minime potest: sed, ut dictum est, veluti ligat eam modò, coercetq̄ue, & compingit. Neque igitur eorum, quæ gelat, vel molem imminuit vel transpauitatem adimit; at vtrunq̄ue agat, si tenuitatem in crasfitiem spisset. Ea modò è tenuibus compacta nigra fieri videntur, quæ à calore concrefcunt, nec tamen omnia; sed ea tantum è quibus tenuitatem omnem eduxit, & quæ verè crassa fecit calor: nam è quibus non omnem emunxit tenuitatem, alba ea remanèt; quod animalium ossa, dentesq̄ue, & vngues declarant. Præterea & sal è marina aqua concretum, & ouorum alba ab igne durata, ea nimirum omnia, in quæ succi concreuere non valde disfimilares, & viscosi, tenacesq̄ue, quorum scilicet exigua pars seorsum ab alijs in summam agi possit tenuitatem, & qui vel huiusmodi factæ egressum elabenti ægrè præbeant, eaq̄ue elapsa cõfringantur durefcantq̄ue. Age verò, ut res vniuersa magis etiam in aperto ponatur, in ijs, quæ in nostro corpore, nostroq̄ue à calore fiunt, num albedo tenuitatis propria sit; & num colores, quo nobis expositum est modo, fiant, intueamur. Neque enim succorum colores, ut Antiquioribus visum est, propterea tales singuli, quòd viscerum, in quibus fiunt, talis est color; quin viscera potius ijs singula coloribus donata videri debent, quòd ex ijs confecta sunt succi, ut quæ in vteris maternis constituuntur, declarant. Propterea igitur succi singuli tales, quòd à calore tanto facti, tantaq̄ue donati sunt tenuitate; veluti qui ab igne conficiuntur, qui ijsdem in albis, & vel ex ijsdem rebus, at à diuerso confecti calore, colore donantur diuerso. Longè diuersissimi cibi in ventriculo concocti, attenuatiq̄ue in tenuem, albamq̄;

aguntur

aguntur rem: at uel tenuiores eius partes amplius in iecinore concoctæ, rubescunt; per languens nimirum uentriculi calor cibos neque in ualdè diuersa, neque in ualdè tenuia inuertit. Aequè igitur, lenteque uniuersos attenuans, nec quam eorum partem amplius attenuauit, strenuè eam educens, in tenuem omnes, nec in ualdè dissimilarem agit rem. At non uehementior iecinoris calor, sed in longè diuersa, tenuiora, quæ inerant, non in uapores modò, sed in aquam, aut aquæ similem, albam omninò, liquidamque rem; paulò crassiora in sanguinem tenuem, puniceumque & nitidum, qui nimius nò est: qui nimirum nullas, aut perexiguas eius partes plus alijs attenuat, atque in uapores agit. Id enim ubi fit, crassior, nigriorque fit sanguis. Alia etiam in flauam bilem, in quibus scilicet amplius concoctis, maioreque donatis calore plures in uapores actæ sunt partes, & in atrâ etiam alia, è quibus nimirum tenuitas emuncta est omnis. At in corde albidior fit sanguis; à robustiore enim calore amplius attenuatur, & non ualdè dissimilari non in diuersas agitur res: tum & aer ei admiscetur. Et in mulierum papillis longè albisissimus, à perblando muliebri calore diu in uenis còcoctus, nec dissimilari, ut dictum est, nec uiscositate expers: qui igitur, si quæ ipsius partes seorsum à reliquis magis attenuatæ sint, elabètes eas retinere queat, coercereque. In uasis itidem seminarijs, atque in testibus albescit, at nò æquè, atque in papillis, quòd robustior masculinus calor tenuitatem multam ingenerat, & ingenitæ egressum partefacit. Tenaciùs itaque & magis uiscosum semen, & minus tenue, & album minus. Caro itidem, tenuitas nimirum è uenis elapsa; & à calore quidem, at non uehemente, concreta, alba uniuersa, quam præsertim nullis ambiens calor, aut paucis tenuioribus partibus spoliavit. Frigidam itaque incolentes regionem, & sub tecto, atque in ocio uitam degentes, albo corpore omnes: at non, calidam inhabitantes, neque sub dio laboriosam degentes uitam; sed omnium pelliculis nigrescit tenuibus scilicet partibus à calore eductis quouis. Niger etiam, crassusque sanguis omnis è uenis elapsus, quòd tenuitas ex eo elabatur omnis. Et niger sanguis, crassusque Galeni testimonio, in calidis, siccisque corporibus, & in huiusmodi anni temporibus, & regionibus, constitutionibus, uitæ studijs, ac uictus ratione, ac denique cibis crassis, siccisque; ubique nimirum ob tenuium partium abscessum, cum quibus & albedo elapsa est omnis, ijs itidem in corporibus perpetuò nigriores fiunt pili, in quibus tenuitas, quæ in pilos compingitur, tenuioribus sui partibus magis spoliatur, magisque fit crassa: albiore contra in quibus minus illa crassescit. In uniuersum

uniuersum itaque qui calido, siccoque sunt corpore, & qui sub calido degunt Cælo, nigros habent, crispisque pilos, quòd magnus eorum proprius cutis calor, & ab ambientis æstu assiduè adauctus, quam facit tenuitatem, minimè puram, minimèque uniuersam facit: sed fuliginibus multis immistam, & alias eius partes longè alijs tenuiores, ijs itaque à robustiore calore eductis omnibus, quæ reliqua facta est, crassa remanet, fuliginosaque: nam impuram dissimilaremque à uehementiore calore tenuitatem fieri, satis est, ut opinor, in Commentarijs de Rerum Natura declaratum; contra qui frigidus, humidoque sunt corpore, & qui frigidam incolunt Terras, flauos habent, rectosque pilos, quòd languens eorum calor, quam facit tenuitatem multò puriorem, multoque magis similem facit. Et uel bene ille tenue, beneque leue nactus subiectum, at externum reformidans frigus, elabi pigrescit. Nec uerò quòd sub frigidis degentibus Cælo magnus inest in uisceribus calor, talis & externæ cuti inesse uideatur, quin propterea ille magnus, quòd ab ambientis frigore reiectus ex externis in internas recessit partes. Et tenuitatis omninò copia flauos his fieri pilos nigros uerò illis, inde apertissimè intelligere licet; quòd, ut dictum est, crispis etiam illis, recti ijs fiunt. Fluens enim sui natura tenuitas in rectum omninò fluit, & qui igni admouentur pili propter eam crispis fiunt, quòd tenuioribus sui partibus spoliati, sese ueluti retrahunt, colliguntque, separari, diuidique à seipsis nolentes. Qui uerò medio sunt corpore, & qui medium incolunt tractum pilos medios habent; modicè scilicet nigros, & minus etiam crispis: quòd medius eorum calor, & modo medio à medio ambientis calore adauctus, allectusque mediam facit tenuitatem, medioque elabatur modo. Flauis itidem rectisque infantum pili, quòd eorum corpus longè humidissimum, & calor minimè uehemens est. Florentium ætate nigri, crispioresque, quòd & corpus crassius, & robustior calor. Puerorum uerò, epheborumque inter utrosque medij, quòd & corporis dispositio, & calor medius est. Senectus uerò cana omninò, quòd languens senilis calor quam facit tenuitatem bene puram beneque uniuersam facit, nec fuliginibus itaque, nec partibus omninò alijs amplius, aut ualdè attenuatis in-existentibus ullis pura in pilos concrefcit, nullisque tenuioribus sui partibus spoliata. Propria igitur tenuitatis albedo, cum illa ingenita usquequaque, & usquequaque illam sectata, & interempta cum illa: crassitie propria nigredo cum illa exorta, & perpetua illius comes, & perpetuò cum illa recedens. Et calor albedinis parens,

veluti & tenuitatis, propria utramque actione faciens; nigredinē ex accidenti, veluti & crassitiem, tenuitatem scilicet, cum ea & albedinem educens. At nostro tamen more Peripateticorum de colorum generatione sententiam explicemus, examinemusque.

Aer, & aqua, & Terra alba, ignis uerò, & Sol flauus, & niger color reliquis elementis ab igne combustis; colores alij ex horum commistione fieri Aristoteli uidentur. Cap. 6.



Simplices, inquit, colores sunt, qui elemēta, putā ignē, aerem, aquam consequuntur: aer enim, & aqua per se sunt natura alba; ignis autem, & Sol flauus; Terra uerò natura alba est, at propter tincturam multicolor apparet: quod in cinere manifestum fit; nam exusto colore, qui tincturam faciebat, albus euadit; non tamen omni ex parte, quod fumo, qui niger est, tingitur. Niger autem color consequitur elementa, cum in se inuicem mutantur. Tum multis interiectis, nigrum, inquit, colorem fieri contingit; cum aer, & aqua ab igne comburuntur; quare & omnia ambrusta nigrescunt, uelut ligna, & carbones igne extincto. Simples igitur colores tot, talesque sunt: reliqui uerò ex horum temperamento, & maioris, minorisque ratione gignuntur.

Nec flauus color simplex, nec Sol, atque ignis flauus, nec Terra alba uideri debuit Aristoteli.
Cap. 7.



RECTE quidem colores, qui primis insunt corporibus primi uidentur Aristoteli, & rectē ad colorum constitutionem Solis, eiusque lucis opera uti uidetur: at neque Sol, neque ignis flauus, nec flauus omninō color simplex uideri debuit; nam uel Aristoteli ipsi, & Sol, & ignis albi uidentur; ubi ille per purum, nitidumque aerem, hic uerò in benē exuperata conspicitur re. Et flauus manifestē albi, nigrique medius est. Ineptissimus certē Aristoteles uideri debet, qui Terrā inquirens colorem, non Terram ipsam, eamque eius partē, quæ nihil à Sole passa est unquam, sed cinerē intuetur, qui ē crassissima quidem ligni parte, & quæ Terræ similis, cognataque uideri poterat, confectus; at plurimo donatus calore, aqua igitur per

per eum percolata, non colorem modò, sed uires ignis assumit, & pro dulci longē fit amarissima; à Terræ igitur natura quàm longissimè abesse uideri debet. Proprius terræ color in profundissimis Terræ partibus inspiciendus Aristoteli erat; & nigerrimus in ijs dubio procul inspectus esset: quin uel non talis inesse uisus, talis omninō indendus ei erat; siquidem & ipse simplex, ueluti & albus Aristoteli positus, simplici omninō & ipse corpori indendus erat: Terræ itaque necessariò, quæ nimirum sola nec alba, nec flaua uisa foret, & quæ iuxta lucem, tenebrasque, & perspicuitatem, opacitatemque, penitus igni contraria uisa, contrariò omninō colore colorata uideri debebat; tenebricoso itaque, atque obscuro: siquidem ignis color lumen Aristoteli uideretur; quòd lumen, inquit, sit color ignis, perspicuum est ex eo, quoniam nullum alium, quàm hunc inuenitur habere colorem. At uel nusquam illū inspicienti, uel nulla indaganti ratione ex imis omninō Terræ latebris eruendus Aristoteli erat, esse eum conspicienti, & ex eius, albi que, & flauis commistione reliquos constituenti. E simplicibus certē albis corporibus flauis ignis actione nusquam educendus: quæ enim in similitudine præsertim agunt, ubi non in propriam ea naturā, propriamque agunt speciem, in mediam certē agunt. Alba itaque elementa ab igne flauo passa, uel flauum, uel colorem assumunt, qui albi, flauique medius uideri possit; quàm longissimè igitur à nigro dimotum, dissidentemque: quæ igitur ab igne, Sole uel passa, non ignis, Solisque, nec eorum, Terræque medium, sed nigrum assumunt colorem, eius enim entis proprium declarant, cui proxima ab igne, Soleque facta sunt; Terræ nimirum: neque enim uel aer, uel aqua ab igne, Soleque nigrescere, sed quæ ex illis, & Terra Aristoteli composita uidentur, apparent, & ibi tantum omnia, ubi illis eductis sola reliqua facta est terra.

Nigrum colorem humidi copia fieri Aristoteli interdum uisum fuisse.
Cap. 8.



Neptus itidem, atque inconstans uideri potest Aristoteles, qui quæ combusta sunt, ē quibus scilicet humiditas emuncta est omnis, uel quæ albißima forent, nigra fieri intuitus, nigrum colorem humidi defectu fieri cum statuisset; propterea quòd quædam albiora fieri aspiceret, quæ sicciora facta esse uideri poterant, priore sen-

b 2 tentia

Cap. 6.

tentia improbata, nigram humidi excessus fieri decernit: perpetuò videlicet & color, & effectus quiuis alius, eidem omninò agēti assignandus est omnis, contrarijs certè nullus vnquam; & quod semel rectè perspectum est, statutumque in dubium id verti nunquam; sed perpetuò firmum, stabileque, & certum manere debet. Manifeste igitur quædam ob humidi defectum nigrescere intuitis, vel si in quibusdam is lateat, quæ nigrescunt omnia ob humidi defectum nigrescere videri omninò debent: & diu is, multumque inquisitus, dubio procul in omnibus tandem manifestus fiat. & vel in ijs, quæ humidi excessu nigra fieri Aristoteli visa sunt, manifestus, ut opinor, fiat. Errant, inquit, qui existimant nigra omnia fieri, propterea quòd ipsorum alimentum à calido comburatur: nonnulla enim animalium statim ab initio fiunt nigra, sicut canes, & capræ, & boues, atque omninò quorumcunque pili, & cutes initio alimentum habent; procedente autem ætate minus: & puerorum omnium capita initio rufa, propter alimenti paucitatem: atque id manifestum est; nam capilli imbecilles sunt, & rari eandem ob causam; præterea etiam primùm breues omnibus pueris proueniunt, verùm progrediente ætate nigrescunt; rursus ijs coloratis propter affluentis alimenti copiam. Simili modo & circa pubem, ac barbam, cum primùm cœperint pubescere, & lanuginem emittere; hæc quoque fiunt initio rufa, propter humiditatis paucitatem, quæ in ipsis desiccetur: vbi verò plusculum alimenti ad locum defertur, rursus nigrescunt. Pili autem in capite plurimo tempore rufi perdurant, propter alimenti inopiam: quoniam quo tempore augetur, etiam hos similiter nigrescere contingit; quemadmodum & pubis, & capitis pilos. Ideirco autem id est; nam quæcunque prolixos habent pilos, ut plurimùm qua parte proximi sunt corpori, nigriores sunt; circa summa verò flauiores, ut sunt ouium, equorum, & hominum: propterea quòd ijs paucissimum alimentum ad hæc loca deferatur, & exarescat celeriter. fiunt & pennæ nigrarum auium, quæ prope corpus sunt, nigriores omnibus, quæ verò in summis partibus sunt, flauiores. Eodem modo & quæ circa collum sunt, & omninò quæ modicum capiunt alimentum: maximè autem hoc prospicitur in animalibus subiugalibus; omnium enim pili albi fiunt: locis enim nequeuntibus similiter nutrimentum attrahere, propter calidi imbecillitatem humidum celeriter exarescens, fit album. Et quæ sunt circa tempora maximè omnium cauescunt, & in summa circa infirma, & laborantia loca:

Colorem

Colorem nigrum humidi copia fieri, album vero eius defectu perperam Aristoteli visum fuisse.

Cap. 9.



NON quidem propterea albus color humidi inopia, niger verò eius copia fieri Arist. videri debet, quòd animalium nonnullorum nascentium pili nigri sunt, procedente verò ætate albi fiunt: verè enim animantium omnium corpora in ortu humidiora sunt, & verè assidue sicciora fiunt omnia; at animalium pili in vteris maternis enati ab vterorum calore exsiccati, nigrique fieri potuerunt, veluti quæ ab igne, Soleque nigrescunt; quæ propterea nigriora fiunt, quòd ab eorum calore humiditate omni spoliantur. At inde, vt videtur, nigrum humidi copia fieri colligenti Aristoteli, quod animantia in ortu humidiora sunt, nequaquam puerorum capilli & iuniorum barbæ, pubesque initio rufa ob alimenti, humidique copiam, postea verò ob eius inopiam nigriores fieri videri debent: neque enim hominum corpora in ortu sicciora, & postea humidiora; canum verò, ouiumque, & bouum initio humidiora, & postea sicciora fiunt; sed animalium omnium in ortu humidiora sunt, progressu verò sicciora fiunt. Et vel Aristoteli ipsi puerorum capita ob nimiam humiditatem grauari, nec coalescere, nec caluarie omninò ossa confirmari posse videntur: albi itaque, rufique, & molles puerorum capilli, quòd è capite enascuntur longè humidissimo; & quæ assidue ex eis elabitur tenuitas, ab assidue in eos influente reficitur. Et tandiu albi, rufique, & molles durant, dum & corpora humida permanent: minuti porrò, fragilesque; si quidem corpulentiores, ut fiant capilli latis opus habent, & permanentibus poris, qui in mollissima, humidissimaque cute, & statim tenuitate elapsa in seipsam recidente fieri non possunt. Pueri itaque, feminaeque, & qui humido omninò sunt corpore, pilis, ut plurimùm, carent; nec barba, aut pubes fit, nisi paulò siccioribus factis partibus. Et propterea itidem breues, fragilesque, quòd è tenuitate facti sunt fluxili, & veluti aquea, & quæ facile arefcant, facileque disrumpatur: iuniorum contra crassiores, nigriores, robustiores, longiores, spissioresque, quòd in aridiore iam facto corpore, frequentes, latique pori facti sint; & quæ ex eo elabitur tenuitas, non tenuissima amplius, sed crassior iam, viscosaque; fit, & quæ elaben

DE COLORVM GEN.

elabentes sui partes retinere queat,coercereque, & in capillos igitur,quales dicti sunt,concreſcat,eandē ob cauſam & barba, pubeſque initio quidem ruſa,at aſſiduē nigriores fiunt: è benè enim adhuc molli humidaque parte exoriuntur,at quæ aſſiduē ficcior fiat,aridiorque veluti corporis partes aliæ omnes. At nec auium ceruices,nec ſubiugalium animalium partes,quæ à ſella atteruntur, ob alimenti,humidique inopiam albiiores fieri videri poſſunt: neque enim vel molliffimas,humidiſſimasq; eſſe illas,vel in has aſſiduo attritu calefactas,apertaſque plurimum inſuere humorē dubitare licet.Prolixi itidem pili, & nigrarum auium,quæ corpori proximiores ſunt pennæ,nigriores,in extremis verò partibus albiiores fiunt: nō quòd alimentum modicum,modicuſque humor ad extremas deferatur,quo abundant corpori proximiores ſed quòd calor itidē his multò quàm extremis ineſt robuſtior, & qui quam intulit, & quam facit tenuitatem,ſecum illam educat omnem: nō ſcilicet alba ea fiunt,in quæ multa inſluit tenuitas, ſi à robuſtiore ea educatur calore,ſed ea modò, quibus tenuitas multa, & non is ineſt calor,qui euehere illam poſſit.Et hac ratione vel Ariſtotelis teſtimonio,animalium varij coloris pili ſub ventre albi fiunt:& vbi ex attritu ſellæ vlcera iumentis eueniunt, ſi ſolidentur, albus oritur pilus,natiuo ſcilicet,proprioq; partis calore debilitato, & plurimum aſſluentem humorem euaporare impotente: at ſi quid apponatur, quod calorem adiuuandi,& diſcutiendi, & humidum euaporandi vim habeat,pili fiunt reliquis vnicolores. Et circa tempora,& omninò circa laborantia,& infirma loca pili omniū primi caneſcunt; non quòd modicus humor; nam temporalis muſculus omniū humidiffimus;ſed quòd humiditas vbique adeſt multa, & quam imminutus,& languens calor euaporare minimè queat.Et quæ Ariſtotelis teſtimonio ſæuientibus frigoribus alba fiunt animalia, propterea omninò fiunt,quòd proprius eorum calor ab externo frigore introactus multam facit tenuitatem,& quam facit minimè educit;vt vel quæ nigrum colorem humidi copia fieri Ariſtoteſi perſuaſere, ea humidi inopia fieri illud manifeſtent.

FINIS.

109359